

tinentis hos numeros alter limes, qui priori ad rectos angulos existit, numerum ostendet sub quota specie collocandum. ut sint 35. gra. 24^a, diuidenda per 59. quære igitur 59. tanquam numerum sub diuidente specie in limite dextro trianguli. Nam in ordine seu tractu eius transuersali reperies hos geminos numeros 35. 24. ac è regione alter limes transuersalis seu caput canonis monstrat 36 numerum scilicet sub quota specie. Qua in re illud etiam obseruandum est, accidere interdum, ut si numeri sub reliquis speciebus diuidentibus, fuerint maiores, sumendus sit pro numero sub quota specie, non is, quem maximum vel primum offert gubernatrix species, sed alius vnitate minor, id quòd res ipesa docebit planissimè. Hac igitur solertia inueniuntur numeri sub quota specie, in singulos numeros sub qualibet specie diuidente multiplicandus est, & nati inde numeri conuenientibus locis supernè scripti (sic enim nobis commodissimum videtur) ab inferioribus immediatis subtrahendi, ac reliqui tandem rursus suis locis supernè scribendi. Quod si quis nostram rationem penitus sequi volet. solos numeros subtrahendos lineola transfiget, sic ut alteri, vnde subtrahitur relinquatur integri. Nam hæc diligentia discernendi numeros prodesse tibi potest, si quando expedito numero sub vna quota specie, idem calculus iterandus fuerit.

Quòd si post subtractionem aliquid de diuidentibus speciebus remanserit, ut numerus sub alia quota specie denuo quærendus sit, numeri sub singulis speciebus diuidentibus ordine vno loco versus dextram promoueantur, ac instituatur similis tum coniectura, seu exploratio, tum calculi ratio. Vbi si acciderit, numerum sub gubernatrice specie maiorem esse eo, qui directè superior est reliquis sub speciebus diuidentibus, tunc cyphram seu 0 sub hac quota specie scribendum esse memineris. Hæc igitur calculi ratio toties iteranda est quoties vsus postulauerit. Concinnum etiam nobis videtur, species diuidentibus à diuidentibus disiungi medijs duabus parallelis lineis, intra quas numeri sub quotas species collocentur. Similiter quod de lineis perpendicularib. diximus in multiplicatione ad distinguendas species id vel maxime in diuisione faciendum esse censemus. Reliquum est, ut hoc satis prolixum præceptum diuisionis vno atq; altero exemplo illustremus. Ac repetatur sanè primū exemplū, quo in multiplicatione vsi sumus, ac sint diuidenti 29. gr. 34^a, 9^a, 2^a, 48^a, 3^a, 42^a, 4^a, 12^a, 5^a, 50^a, 6^a, 49^a, 7^a, 30^a, 8^a. per motum diurnum ☉ compositū æqualem, scilicet, 59^a, 1^a, 8^a, 2^a, 19^a, 3^a, 37^a, 4^a, 24^a, 5^a, 25^a, 6^a, 41^a, 7^a, 39^a, 8^a. ut adpareat, quanto tempore sol secundum æqualem cursum hunc Zodiaci arcum peragret. Manifestum est autè quòd numerus sub extrema specie diuidente i. 59. superet numerū sub extrema diuidentia, ut 29. Alioqui cū gradus diuidimus per scrup. 1.

Exempla 1.

C 2 exdiui-